

pus aliquod ingreditur, extendit vel dilatat illud, simulque majus efficit, ac tandem adhuc majus, quando in minimas partes per liquefactionem dissolvit. Unde Lachrimæ illæ sive guttæ vitri, noviter in officinis vitriariis præparatæ (de quibus sæpius audi vi sed nunquam vidi) dum ferventes in aquam frigidam stillando dimittuntur, externe quidem, secundum vitri naturam, solidæ lævigatæque, interne verò raræ vel porosæ existunt. Ratio est, quia ob ingressum calorem, omnes vitreæ partes sunt dissolutæ, porosæ & corpus inde dilatatum; in

Gläsern  
Sprinck-  
hornlein.

aqua verò frigida statim obduratur, nec vitrea illa materia propter duri- tiem se ita (uti aliàs successu temporis fit) tam cito concamerare vel consoli- dare potest; interea calor, ut virtus incorporea, elabatur, & spatiola ista ab eo antea repleta, vacua, totiusque corporis partes intus dissolutas relin- quit. Deinde quando rumpitur ejus- modi Stilla, tunc aër externus cum gravitate simul & strepitu, irrui- rit in spatiola ista vacua, (sicuti *Experimenta lib. anteced. demonstrant*) partesque hujus corporis omnes, per calorem antea dissolutas, in pulverem redigit.

## CAPUT XII.

## De Virtute Lucente &amp; Colorante.

**E** Sole (qui procul dubio corpus igneum vivificum ejusque proximus Virtutis orbis Flamma est) inter alias plures virtutes, effluit quoque (& quidem sine interruptio- ne) Virtus aliqua, quæ *Lux* seu *Lu- cens virtus* dicitur, quam communi- ter Radios Solares vocant.

Hæc Virtus, quando corpus atterit vel tangit, non solum simul calefacit, ut præcedenti cap. diximus, sed & illu- minat; quæ illuminatio *Lumen* dicitur seu *Lucis reflexio* primaria, differt- que à Luce, ut illuminans ab illumi- nato.

Luminis porrò reflexio, dici potest *Lumen Secundarium*, deinde *Ter- narium*, *Quaternarium* &c. *Lumen* enim variè reflectit; *Ex. gr.* Virtus *Lu- cens Solis*, seu *Lux*, quando atterit *Lunam*, illuminat illam, *Lumen*que in ea efficit; quod iterum quando *Ter- ram* versus reflectitur, dici potest *Lu- men Secundarium*, &c.

Virtus *Solis* seu *Lux*, pro natura objectorum, suas habet operationes, quædam enim superficialiter tangit (uti sunt corpora opaca) reflectitque: quædam ingreditur ac etiam pertran- sit, ut sunt corpora diaphana.

Corpus diaphanum seu pellucidum aut perspicuum, dicimus id quod est habile ad recipiendum virtutem lu- centem: seu, in quod & per quod Virtuti Lucenti (vel, cæteris paribus,

Lumini) patet aditus & transitus: ut sunt Aër, Aqua, Vitrum, Crystallus & alii lapides pellucidi; Item humor Crystallinus in oculis animalium, &c.

Corpus opacum dicimus id quod impervium virtuti Lucenti, vel quod Virtus Lucens seu etiam Lumen, in- habitare & penetrare non potest. Quando à Luce vel etiam Lumine tangitur, dicitur corpus Luminosum.

Reflexio Luminis è corpore opaco in corpus vel in corpora opaca, fit ut diximus, non unâ vel alterâ vice, sed secundum objectorum qualitatem ac positionem, ter, quater, imò decies, vicies &c. & quidem per angulos æ- quales; ita tamen ut semper fiat debilior, donec denique in nihilum abeat. Unde si quis in fundo Putei sa- tis profundi (donec scil. omnes Lumi- nis reflexiones desinant) constitutus esset, noctem ibi vel ipsas tenebras ha- beret, ac per consequens Stellas Cæ- li, etiam meridie, videret.

Virtus Lucens, sive quoque Lu- men, superficialiter quidem esse po- test in omnibus corporibus, intrinse- cus verò non, nisi in corpore apto, hoc est, diaphano. Quod enim dia- phanum non est, non potest in se re- cipere Lucem, nec Lumen, ejusque reflexiones. Unde si animalia non haberent oculos, tanquam corpora diaphana & organa per quæ Lux & Lumen recipi vel sentiri posset, non

Quid Cor-  
pus Opa-  
cum?  
Item lumi-  
nosum.

Reflexio  
luminis fit  
pluribus  
vicibus.

Virtus  
Lucens non  
ingreditur  
corpora O-  
paca, ta-  
men dia-  
phana.

Quid sit  
Lux, seu  
Lucens  
Virtus?

Quid Lu-  
men,

&

Præmarium,

Secunda-  
rium.

Quid Cor-  
pus dia-  
phanum?